# IN EPISTOLAM AD GALATAS

## Præfationes.

Galatia, Asiæ Minoris regio, habebat ab oriente Cappadociam, ab occidente Bithyniam, à meridie Pamphyliam, à septentrione Pontum Euxinum.

Gallo-Græcia primùm, deinde Galatia dicta est ob incolas, qui Gallo-Græci, seu Galatæ vocati sunt, quia è Gallià in hanc Græciæ partem demigrârunt.

Suidas putat fuisse Senonenses illos, qui, Brenno duce, Romam primùm invaserunt, Italiam vastaverunt, deinde in Græciam trajecerunt; tandem post varios casus, hanc Græciæ partem incoluerunt : unde Gallo-Græci, seu Galatæ dicti sunt.

Alii tamen aliter sentiunt; sed quidquid sit de eorum origine, imò et nomine, quidam enim volunt Galatas dici, à candore, quasi lacteos, γάλα, *lac*, certum est quòd hos populos D. Paulus ad Christum Evangelii prædicatione converterat; certum est quòd Galatæ veram Christi fidem tanto cum zelo susceperant, ut et miracula patrârint et multa pro Christo tolerârint;

Sed paulò post Apostoli recessum ab eis, Judæo-Christiani, pseudo-apostoli, partim occupati persuasione Judaismi, partim inanis gloriæ siti temulenti, ait D. Chrysostomus, ad Galatas profecti sunt, illosque ad Judaismum cum Evangelio suscipiendum commoverunt, et ad circumcisionem, cæteraque legalia, tanquàm ad salutem necessaria, pellexerunt.

Ut errorem suum pseudo-apostoli faciliùs inducerent, et D. Pauli doctrinam funditùs everterent, illius auctoritatem labefactare primò aggressi sunt; negabant igitur Paulum Christi apostolum esse, sed simplicem asserebant apostolorum discipulum; imò, qui doctorum suorum mentem non esset assecutus; quandoquidem, aiebant, apostoli Evangelium cum lege evangelicâ miscent; ita, inquiebant, Jerosolymis Jacobus; ita et Petrus, apostolorum princeps, qui nuper Antiochiæ, gentilium conversorum, sed non circumcisorum consuetudinem devitabat. Insuper et Paulum ipsum accusabant, tanquàm hâc in re varium; simulationis calumniam Paulo intendebant, ait D. Chrysostomus, dicentes : Hic ipse qui tollit circumcisionem, alibi visus est iis uti quæ damnat, aliter vobis, aliter aliis prædicans.

Talibus commentis ita subrepti sunt Galatæ, ut circumciderentur, dies observarent, et menses, et tempora, et annos, ut dicitur c. 4, v. 10.

Quibus ad Paulum perlatis, ex unà parte animadvertens Apostolus, quanti momenti esset hic Judæo-Christianorum error : erat enim à Christo apostasia, et, ut ipse initio et in progressu sermonis declarat, Evangelii subversio, c. 1, v. 7; ex alterà parte considerans quantum inde impedimentum foret conversioni gentium, cujus ipsi cura specialiter demandata fuerat; partim irâ justâ commotus, partim immenso dolore correptus, ait D. Chrysostomus, zelo suo succensus scribit ad Galatas plenam vehementiæ Epistolam, ut cuivis, vel ex ipso statim lectionis ingressu, perspicuum est, ait Chrysostomus : increpat potiùs quàm doceat, ait D. Hieronymus; increpat, sed ab errore, quo decepti erant, revocando.

Et quia pseudo-apostoli apostolatum Paulo denegaverant, hinc magno animo statim, in ipso Epistolæ exordio, ostendit se non minùs quàm alios apostolos, apostolatum à Christo Domino accepisse; imò cum hâc speciali sibi prærogativâ, quòd à Christo glorioso,

Cùm per apostoli Pauli prædicationem, inter alios etiam Galatæ verbum veritatis, hoc est, fidem christianam, rectè edocti essent, adeò ut et pro Christi nomine multa adversa tolerarent, et virtute Spiritûs sancti per Christum accepti, apud eos etiam miracula ederentur; post Apostoli recessum, à falsis quibusdam fratribus qui ex circumcisione erant sollicitati, ad circumcisionem cæterasque Mosaicæ legis cæremonias traducti sunt; non ita quidem ut Christum penitùs abjicerent, sed ut legem cum Christo conjungerent, atque miscerent. Illi namque pseudo-apostoli, Christum, ut doctorem ac præconem veritatis recipiebant; redemptorem verò auctoremque justitiæ non agnoscebant; et cæremoniis, peccatorum veniam, à Christo, doctrinæ veritatem et exempla perfectæ justitiæ quærenda, docebant, quasi nihil aliud esset Christi Evangelium, quàm hominis ad pietatem institutio, non item impii justificatio. Quod eatenùs postea secutus est Pelagius hæresiarcha, ut doctrinæ legis ac libero arbitrio salutaria virtutum opera et mandatorum Dei observationem adscriberet; solam peccatorum remissionem Christi merito reservans. Cùm verò memorati pseudo-apostoli scirent omnem Pauli



et in cœlis regnante, suum apostolatum acceperit, v. 1. Pergit ostendendo se nihil aliud docere quàm quod doceant Petrus, Joannes et Jacobus, seque semper eadem sensisse et docuisse; narrat insuper quid ipsi acciderit Antiochiæ circa Petrum; fortè, quia factum hoc malitiosè relatum fuerat à pseudo-apostolis, et ipso abutebantur ad errorem suum : deinde multis Scripturæ testimoniis et rationibus probat legalium cæremoniarum insufficientiam et inutilitatem ad salutem, hominem verò ex fide Christi justificari.

Sic autem Galatas has docet veritates, ut et eos frequenter hortetur ad servandam in suâ puritate fidem.

Denique pro suo more, in ultimis præsertim capitibus, varia circa mores præbet documenta.

Hujus igitur Epistolæ argumentum præcipuum, sicut et illius quæ ad Romanos, est hominem, non ex lege, sed ex fide Christi justificari. Hinc à multis aspicitur, quasi Epistolæ ad Romanos compendium et epitome, multas habens cum illâ communes sententias, rationes, phrases et discursus; cum hoc tamen discrimine, quòd in Epistolâ ad Romanos Paulus arguit tam Judæos quàm gentiles, hic solas gentes; ibi rejicit opera, tum naturæ, tum legis, hic legis tantùm, ut fidem et opera fidei stabiliat.

An verò hæc ad Galatas Epistola præcesserit Epistolam ad Romanos, an subsecuta fuerit, res est apud auctores valdè dubia : exemplaria Græca, versio Syriaca et Arabica Romæ scriptam asserunt; idem affirmant D. Athanasius in Synopsi, D. Hieronymus, Theodoretus in præfatione Epistolarum D. Pauli, et post ipsos Estius; juxta quos omnes hæc Epistola posterior est eâ quæ ad Romanos est, et scripta an. 60.

Hujus opinionis præcipuum fundamentum est, quòd in Epistolâ ad Romanos, cap. 15, v. 26, D. Paulus dicat : *Probaverunt Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes*, etc.; et v. 28 : *Hoc igitur cùm consummavero*, etc. Tunc ergo, inquiunt, occupabatur Apostolus in colligendâ pro sanctis pauperibus Jerosolymitanis eleemosynâ; in hâc verò ad Galatas Epistolâ, cap. 2, v. 10, id à se jam perfectum esse testatur. Ergo hæc illâ posterior.

D. tamen Chrysostomus, Theophylactus in argumento Epistolæ ad Romanos, Baronius, tom. 1, negant Romæ scriptam esse, quia in hâc Epistolâ D. Paulus suorum vinculorum non meminit, sicut in aliis Epistolis Romæ scriptis; volunt ergo ante Romanam fuisse scriptam Ephesi, vel Philippis, aut in aliâ urbe Græciæ, an. Christi 58. Imò recentiores aliqui eam putant scriptam ante primam ad Corinthios, an. 55 aut 56. Ita D. de Tillemont, quod tamen non asserit ut certum. (Vide *Mémoires*, etc., *note 42 sur S. Paul.*) Idem opinatur, dubitando tamen, auctor Analysis argument.

Ex supradictis concludo quòd non possit certò definiri ubi et quando scripta fuerit hæc Epistola, quæ, quoad hoc, est omnium Epistolarum D. Pauli incertissima, ait Cornelius à Lapide in præfatione.

Itaque præstat ignorantiam hâc in re fateri, quàm quod ignorâtur affirmare.

Judæorum discernentes. Accedebat quòd Petrus, apostolorum princeps, etiam nunc cùm esset Antiochiæ, quæ gentilium, non Judæorum, civitas erat, à cibis et mensâ gentilium sese de industriâ subtraxerat, tanquàm facto suo doceret à cibis lege vetitis ubique et omnibus sine discrimine abstinendum esse; proindeque legis cæremonias omnibus esse observandas. Ad hæc apostolus Paulus ita respondet hâc Epistolâ, ut inprimis et digaitatem apostolatûs sui adversûs pseudo-apostolos tueatur, et suæ doctrinæ cum reliquis apostolis concordiam, ex habitâ inter ipsos collatione, comprobet. Cæterùm de facto Petri sic loquitur, ut eum propter hoc palàm à se reprehensum dicat; qui tamen etiam ipse, priusquàm quidam à Jacobo fratres Judæi advenirent, cum gentibus cibum sumpserit; ut eo quoque quod Petrus fecerat, adversariorum propositum elidat. Mox rationibus, et adductis è Scripturâ veteri testimoniis, ab errore Galatas revocat, videlicet ex ipsâ lege, legis abrogationem ostendens. Interim varios affectus passim inspergit Epistolæ; modò admirans, modò increpans, nunc obsecrans, alibi obtestans ac denuntians; quòd his modis, velut prudens medicus, sciret cum iis ad quos scribebat, pro eorum ingenio agendum esse : quippe qui et Timotheum instruat dicens : *Argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ et doctrinâ*; et Tito præcipiat Cretenses dure increpandos ut sani sint in fide. Quod autem in aliis Epistolis facit, ut post doctrinam fidei, subjiciat præcepta morum, id et in hâc præstitit, mores informans à medio quinti capitis usque ad finem.

Porrò convenit argumentum hujus Epistolæ cum eâ quæ ad Romanos scripta est, quòd in utràque doceat Apostolus, non ex lege et cæremoniis, sed ex fide Christi, hominem justificari. Verùm hoc interest, quòd ad Romanos scribens intentionem magis dirigat contra

opera legis quâ parte mortalis est; in quibus adversùs gentiles gloriabantur Judæi : hic verò præcipuè contra cæremonias, ad quarum observationem à pseudo-apostolis Galatæ (qui gentiles erant) urgebantur. Illud huic Epistolæ peculiare, quòd (sicut etiam à B. Hieronymo observatum est) ipsa sola, inter tredecim Paulinas non ad unius civitatis fideles scripta est, sed ad totius provinciæ. Nam Galatia, non urbis, sed regionis nomen est, in Asiâ minore sita, in quâ, teste Augustino, libro de Unitate Ecclesiæ, capite duodecimo, Ecclesiæ erant innumerabiles. Ea *Gallo-Græcia* alio nomine vocata fuit, quòd in eam Græciæ partem Galli quondam, ob finium suorum angustiam, commigrâssent.

Ubi et quando scripta sit hæc Epistola, non constat. Ex Epheso missam esse, testatur argumentum Latinis exemplaribus præfixum; at Græcorum subscriptio missam esse vult ex urbe Rom.; quod consistere non potest, si ante Epistolam ad Rom. scripta est, ut sentit Theophylactus. Atqui verisimilius est postea scriptam esse; nam ad Rom. scribens Apostolus, capite decimo quinto, significat se jam tum occupari in eleemosynâ colligendâ pro sanctis pauperibus qui erant Jerosolymis; in hâc verò Epistolâ d ipsum tanquàm à se jam perfectum refert his verbis, capite secundo : *Tantum ut pauperum memores essemus; quòd etiam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Eâdem ratione Romæ potiùs quàm Ephesi scriptam apparet; cùm enim in Asiâ versaretur Apostolus, ubi Ephesus est, id adhuc agebatur ut Achaia et Macedonia collationem facerent in pauperes memoratos. Sed nec ideò negandum Romæ scriptam esse, quòd in eâ nullam faciat vinculorum suorum mentionem, sicut in cæteris quæ ex urbe Româ missæ sunt, scilicet ad Ephesios, ad Philippenses, ad Philemonem, et alterâ ad Timotheum : nam, ut taceam, per *stigmata Christi*, quæ

dicit *in corpore suo gestare*, capite ultimo, posse vincula, aut vinculorum cicatrices intelligi; facilè responderi potest Paulum Romæ agentem non semper in vinculis fuisse, sed aliquando, post primam defensionem, liberatum. Nunc ipsum Apostolum audiamus.

## CAPUT PRIMUM.

1. Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis;

2. Et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ.

3. Gratia vobis et pax à Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo,

4. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundùm voluntatem Dei et Patris nostri,

5. Cui est gloria in secula seculorum. Amen.

6. Miror quòd sic tam citò transferimini, ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium:

7. Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.

8. Sed licèt nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

9. Sicut prædiximus, et nunc iterùm dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.

10. Modò enim hominibus suadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est à me, quia non est secundùm hominem.

12. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.

13. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo; quoniam supramodùm persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam;

14. Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantiùs æmulator existens paternarum mearum traditionum.

15. Cùm autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam,

16. Ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni et sanguini;

17. Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos apostolos; sed abii in Arabiam, et iterùm reversus sum Damascum:

18. Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim;

19. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.

20. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

21. Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ.

22. Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo;

23. Tantùm autem auditum habebant: Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem quam aliquando expugnabat;

24. Et in me clarificabant Deum

## CHAPITRE PREMIER.

1. Paul établi apôtre, non par les hommes, ni par un homme, mais par Jésus-Christ et Dieu son Père, qui l'a ressuscité d'entre les morts,

2. Et tous les frères qui sont avec moi aux églises de Galatie.

3. Que la grâce et la paix vous soient données par Dieu le Père et par notre Seigneur Jésus-Christ,

4. Qui s'est livré lui-même pour nos péchés et pour nous retirer de la corruption du siècle présent, selon la volonté de Dieu notre Père,

5. A qui soit gloire dans tous les siècles des siècles. Amen.

6. Je m'étonne qu'abandonnant celui qui vous a appelés à la grâce de Jésus-Christ, vous passiez si tôt à un autre Evangile.

7. Ce n'est pas qu'il y en ait un autre, mais c'est qu'il y a des gens qui vous troublent, et qui veulent renverser l'Evangile de Jésus-Christ.

8. Mais quand nous vous annoncerions nous-mêmes, ou quand un ange du ciel vous annoncerait un Evangile différent de celui que nous vous avons annoncé, qu'il soit anathème.

9. Je vous l'ai dit, et je vous le redis encore une fois: Si quelqu'un vous annonce un Evangile différent de celui que vous avez reçu, qu'il soit anathème.

10. Car enfin est-ce des hommes ou de Dieu que je désire maintenant d'être approuvé? ou ai-je pour but de plaire aux hommes? Si je voulais encore plaire aux hommes, je ne serais pas serviteur de Jésus-Christ.

11. Je vous déclare donc, mes frères, que l'Evangile que je vous ai prêché n'a rien de l'homme;

12. Parce que je ne l'ai reçu ni appris d'aucun homme, mais par la révélation de Jésus-Christ;

13. Car vous savez de quelle manière j'ai vécu autrefois dans le Judaïsme, avec quel excès de fureur je persécutais l'Eglise de Dieu et la ravageais;

14. Me signalant dans le Judaïsme au-dessus de plusieurs de ma nation et de mon âge, et ayant un zèle démesuré pour les traditions de mes pères.

15. Mais lorsqu'il a plu à Dieu, qui m'a choisi particulièrement dès le ventre de ma mère, et qui m'a appelé par sa grâce,

16. De me révéler son Fils, afin que je le prêchasse parmi les nations, je l'ai fait aussitôt, sans prendre conseil de la chair et du sang.

17. Et je ne suis point retourné à Jérusalem, vers ceux qui étaient apôtres avant moi, mais je m'en suis allé en Arabie, et puis je suis revenu encore à Damas.

18. Ainsi trois ans s'étant écoulés, je retournai à Jérusalem pour visiter Pierre; je demeurai quinze jours avec lui;

19. Et je ne vis aucun des autres apôtres, sinon Jacques, frère du Seigneur.

20. Je prends Dieu à témoin que je ne mens point en tout ce que je vous écris

21. J'allai ensuite dans la Syrie et dans la Cilicie.

22. Or les églises de Judée, qui croyaient en Jésus-Christ, ne me connaissaient pas de visage.

23. Ils avaient seulement entendu dire: Celui qui autrefois nous persécutait annonce maintenant la foi qu'il s'efforçait alors de détruire.

24. Et ils rendaient gloire à Dieu à mon sujet.



## ANALYSIS.

*Quia pseudo-apostoli Paulum negabant apostolum, et apostolorum discipulum tantummodò dicebant; hinc in ipsâ salutatione auctoritatem suam et auctoritatis originem declarat.*

*Primò, removet originem falsò imputatam*, non ab hominibus; *deinde assignat veram*, sed per Jesum Christum. *Ut autem statim ab initio viam sibi paret ad nostram justificationem in Christi Domini meritis stabiliendam, non in legalibus, ut falsò docebant pseudo-apostoli, gratiam et pacem Galatis optat* à Deo Patre, *omnis gratiæ fonte, et* à Domino nostro Jesu Christo, *qui per suam mortem nobis gratiam promeruit. Hisque quasi præambulis in proœmio dictis,*

ỳ 6. *Aperit factum, hujus Epistolæ occasionem, illudque et ejus circumstantias cum quodam stupore narrat: Miror quòd à Christo defeceritis, et quòd celerrimè defeceritis, et quòd ad aliud Evangelium deflexeritis.*

ỳ 7. *Semetipsum corrigens asserit quòd non sit aliud Evangelium; unum tantummodò est, Christi scilicet Evangelium, quod subvertunt pseudo-apostoli.*

ỳ 8. *Zelo successus in tales Evangelii subversores, semel et iterùm anathema dicit omnibus quibuscumque aliud docentibus quàm quod eos ipse docuit.*

ỳ 10. *Animadverteus quòd hæc excommunicatio superbos illos sit offensura magistellos, semetipsum interrogans, quærit an apud homines, an apud Deum causam dicat? Num studium meum est ut hominibus placeam, an potiùs ut placeam Deo? Deinde sibimet respondens dicit: Si hominibus placere voluissem, adhuc à Judæis starem, et christianus non essem. Ferit ex obliquo adversarios, quibus studium erat ut Judæis placerent.*

*A v.* 11 *usque ad capitis finem, ut refutet pseudo-apostolorum calumniam dicentium quòd Paulus non esset apostolus Christi, sed apostolorum tantùm discipulus quorum doctrinam ne intellexerat quidem, ostendit se à nullo homine neque doctrinam, neque missionem accepisse, sed utramque à Christo immediatè per revelationem. Ante conversionem meam, apostolos et Ecclesiam Christi persequebar, sicque ab eis nihil didici. Post conversionem, nullum illorum vidi ut ab eo discerem. A Christo itaque edoctus et copioso sancti Spiritûs dono repletus, et credidi, et ubique Christum prædicavi.*

## PARAPHRASIS.

1. Paulus apostolus institutus, non ab hominibus, arbitratu suo, neque etiam à Deo per hominem purum, sed ab ipso Jesu Christo, Homine-Deo, non mortali quidem, et inter homines vivente, sed in cœlum evecto, et à dextris Dei sedente, seu in divinâ potestate constituto, imò per ipsum, à Deo Patre, qui suscitavit eum à mortuis, et à quo omnis Christi potestas;

2. Paulus, inquam, et omnes fratres qui mecum sunt, Ecclesiis Galatiæ scribit, seu precatur quod sequitur:

3. Gratia et pax vobis detur à Deo Patre et à Domino nostro Jesu Christo,

4. Qui tradidit semetipsum in mortem pro peccatis nostris delendis, ut eriperet nos de corruptione hujus seculi; dedit, inquam, semetipsum hostiam pro nobis, ex voluntate Dei Patris sui per naturam, et nostri per gratiam;

5. Cui pro tanto et tam eximio beneficio sit æternus honor. Amen.

6. Miror quòd ita et tam citò deficitis à Deo, qui vos vocavit in gratiam Christi, et transferimini in aliam doctrinam, quasi esset Evangelium.

7. Non quòd sit aliud Evangelium, sed sunt quidam falsi doctores qui vos conturbant et volunt Christi Evangelium subvertere, docendo quæ Christus non docuit, nec per se, nec per apostolos suos.

8. Sed licèt aut nos, mente mutatâ, aut angelus, si fieri posset, evangelizet vobis contrarium quid ei quod vobis evangelizavimus; anathema sit.

9. Dixi jam, et nunc iterùm dico: Si quis vobis annuntiaverit Evangelium aliud quàm quod accepistis; anathema sit.

10. At hæc scribens, num causam dico apud homines, an apud Deum? Num studium meum est ut hominibus placeam, an potiùs ut placeam Deo? Si adhùc hominibus placere studerem, Christi servus, seu christianus, non essem.

11. Itaque notum vobis facio et omnibus notum esse cupio quòd Evangelium à me prædicatum non sit ab homine nihilque habeat humanum.

12. Quia illud non accepi ab hominis cujuspiam traditione, neque illud didici alicujus hominis interventu, seu magisterio, sed per revelationem immediatè mihi factam à Jesu Christo.

13. Scitis qualis fuerim; et licèt magnum sit inter Palæstinam et Galatiam intervallum, ad vos tamen pervenit meæ conversationis rumor. Notum est omnibus quòd tunc eram infensus hostis Ecclesiæ, quam persequebar, quam expugnabam, et quam funditùs evertere cupiebam ardentissimè.

14. Audistis et meum in Judaicâ religione supra coætaneos meos Judæos progressum, scilicet in majori legis notitiâ, in majori Judaicæ religionis studio, et in ardentiori zelo erga doctrinam et instituta à majoribus accepta.

15. Cùm autem placuit Deo illud in me exsequi ad quod me ex utero matris meæ destinârat, cùm, in-

quam, singulari suâ in me benevolentiâ me tunc hostem suum misericorditer vocavit, Act. 9, 5;

16. Filiumque suum, quem persequebar ignorans, cognitum mihi fecit, revelatione divinâ animum illustrante, et fidei mysteria docente, ut illum prædicarem gentibus, statim et sine morâ illum ubique annuntiavi, inconsulto mortali quolibet, nulliusque hominis capto consilio, aut auditâ doctrinâ.

17. Neque cucurri Jerosolymam ut consulerem Petrum, Joannem, et Jacobum, qui ante me vocati sunt ad apostolatum et tunc Jerosolymis agebant, sed abii in Arabiam, et hinc reversus sum Damascum.

18. Deinde post tres annos ivi Jerosolymam, non discendi studio, sed honoris priori apostolo deferendi gratiâ, apud quem fui per dies tantùm quindecim, tempus sanè brevius quàm opus fuisset ut ab eo discerem Evangelium, quod aliunde non fuissem edoctus.

19. Alium autem non vidi, quia alii aliò iverant apostoli ut Evangelium prædicarent; solum vidi Jacobum, Domini consobrinum, filium quippe Mariæ Cleophæ sororis B. Mariæ Virginis.

20. Hæc autem omnia facta sub juramento vobis asseverо, utpote magni momenti et creditu necessaria, ut non puter apostolorum discipulus, ab illis edoctus et missus, sed ut credar quòd sum reverà apostolus Christi et ab ipso Christo edoctus et missus.

21. Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ; in nullâ itaque Judææ urbe aut regione immoratus sum, ubi christianam religionem edocerer.

22. Ignotus eram, etc.; ergo nec dici potest quod de me spargunt falsi doctores, scilicet quòd apud Judæos docuerim necessitatem circumcisionis suscipiendæ legisque servandæ.

23. Rumor tantùm apud illos de me percrebuerat, quoniam ille qui nos aliquando persequebatur nunc annuntiat hanc ipsam fidem quam priùs expugnabat.

24. Et ex me sumebant occasionem Deum laudandi, cùm me viderent ex lupo factum pastorem et pastoris munia gerentem.

## COMMENTARIA.

Vers. 1. — Paulus apostolus non ab hominibus.... Prœmium sanè convenientissimum et quod, ut ait Theodoretus, illatam in Paulum calumniam statim redarguit. Recordare dictorum in præfatione. Ut apud Galatas errorem suum faciliùs inducerent falsi doctores, et D. Pauli doctrinam funditùs everterent; illius auctoritatem labefactare primò aggressi sunt; negârunt ergo eum Christi apostolum esse; asseruerunt eum apostolorum duntaxat esse discipulum, et ab eis missum, sed qui eorum doctrinam et mentem non esset assecutus. Hinc D. Paulus, non ut se cæteris apostolis eminentiorem ostendat, sed ut erroris et deceptionis argumentum et materiam dissolvat, sic exordi tur : *Paulus apostolus, non ab hominibus*.....

Primò, removet auctoritatis suæ originem falsò et malitiosè à pseudo-apostolis imputatam. *Non ab hominibus*..., id est, munus apostolicum impositum est mihi, *non ab hominibus*, arbitratu suo, vel auctoritate suâ,

Neque per hominem, imò nec à Deo per hominem purum, ut, v. g., Matthias à Spiritu sancto per apostolos, vel *non ab hominibus* simul congregatis, v. g., apostolorum collegio, *neque per unum*... inter alios præcipuum, v. g., per Petrum apostolorum principem, per Joannem et Jacobum, inter apostolos columnas.

Secundò, assignat veram apostolatûs sui causam.

Sed per Jesum Christum, sed ab ipso Jesu Christo, non mortali quidem et apud homines agente, sed immortali, glorioso, à dextris Dei sedente, seu in divinâ omnipotentiâ constituto.

Et Deum Patrem, qui suscitavit... Et consequenter per ipsum à Deo Patre, qui Jesum suscitavit à mortuis, in dexterâ suâ collocavit, caput super omnem Ecclesiam constituit, omnemque ei potestatem in cœlo et in terrâ dedit.

Triplicem in his D. Pauli verbis adverte missionem. Primam ab hominibus et per homines solos, estque tota humana, qualis est hæreticorum, pseudo-apostolorum ; et utinam talis non sit missio multorum, qui hodiè per amicos ad beneficia promoventur ab hominibus et per homines. Secundam à Deo per hominem, hæcque partim est divina, partim humana; divina, quoad institutionem ; humana, quoad communicationem. Talis fuit missio S. Matthiæ (à Deo per apostolos), talis et missio episcoporum et aliorum ipsis subordinatorum, ritè et canonicè vocatorum ; vocantur enim et mittuntur à Deo per homines. Tertiam, quæ tota divina est fitque à Deo immediatè, seu à Domino nostro Jesu Christo, Deo homine ; qualis fuit missio D. Pauli et aliorum apostolorum. Hic quilibet Ecclesiæ minister suam examinet missionem et de semetipso coram Deo judicet : An à Deo, an ab hominibus solis, et à meipso in prælaturam sum evectus, an divina, an humana missio mea? Sicut nullus major defectus quàm defectus potestatis, ita nihil periculosius intrusione, seu carentiâ missionis.

Vers. 2. — Et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ. D. Chrysostomus notat hic tria discrimina inter hanc et cæteras D. Pauli Epistolas. Primum, in aliis Epistolis suum nomen solum apponit, aut duorum aut trium tantummodò nomina; in hâc totam multitudinem posuit : *Omnes fratres*. Secundum, aliæ Epistolæ ad unam civitatem, seu ecclesiam diriguntur, hæc ad omnes ecclesias Galatiæ. Tertium, in aliis addit : Dilectis, sanctificatis ecclesiis Dei ; hic simpliciter : *ecclesiis Galatiæ*.

Horum autem discriminum rationem reddit idem D. Chrysostomus. Ratio primi, ut diluat Apostolus illatam sibi calumniam quòd ipse solus hæc prædicaret, et novam dogmatum rationem inveheret. Hinc ut declaret quòd multos habeat ejusdem sententiæ socios, ait : *Et qui mecum sunt omnes fratres*, quasi ex illorum consilio scriberet. Ratio secundi, quia totam Galatarum gentem erroris incendium pervaserat. Ratio tertii, quia ab Evangelio declinare jam cœperant : hoc erat, inquit, ægrè affecti animi suumque dolorem aperientis, quòd non poterat eos à charitate appellare, sed à solâ congregatione.

Vers. 3. — Gratia vobis et pax... Hæc apostolica salutatio omnia spiritualia bona continet, gratia nempe est vitæ spiritualis principium, pax est quietatio mentis in fide, seu, ut ait D. Augustinus, reconciliatio ad Deum. Optando igitur principium et finem bonorum spiritualium, optat et omnia bona quæ sunt inter hæc duo extrema.

Hinc frequens esse debet et in usu apud omnes Christianos hæc apostolica salutatio : *Gratia vobis et pax*.

A Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo. Duos notat fontes horum spiritualium bonorum, seu duo salutis nostræ principia, scilicet Deum et Christum ; Deus, ut pater, ut bonus, fons est gratiæ et pacis ; Christus, ut salvator, per suam mortem, nobis gratiæ et pacis fons est. Deus causa principalis ; Christus meritoria.

Vers. 4. — Qui dedit semetipsum... Assignat modum quo Christus nobis meruit gratiam, quasi diceret : Christus Jesus est nobis causa gratiæ et pacis, quia *dedit semetipsum* victimam pro peccatis nostris. *Dedit se* liber et volens, fuit enim sacerdos et victima ; sacerdos, quia obtulit ; hostia, quia *semetipsum dedit* et obtulit ; idque quia ipse voluit, Isaiæ 53, 7.

Secundum voluntatem Dei..., id est, ita liberè ut tamen ex decreto Patris sui et nostri : sui per naturam, nostri per gratiam.

Ut eriperet nos de præsenti seculo nequam, id est, de corruptione hujus seculi. Sicut D. Joannes mundum dicit in maligno positum, non quòd mundus subaudi, scribunt, aut precantur.

Vers. 5, 4. — *Gratia vobis et pax à Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris* ; id est, tradidit semetipsum in mortem pro peccatis delendis ; utique secundùm naturam humanam, quâ solâ mori potuit.

*Ut eriperet nos de præsenti seculo nequam*. Seculum nequam est secularis et carnalis vita et conversatio, qualem agit et ad quam invitat hic mundus, mundanique homines, qui hujus tantùm seculi bona, opes videlicet, honores ac voluptates per fas et nefas aucupantur.

*Secundùm voluntatem Dei et Patris nostri*. Christum tradidisse seipsum in mortem, ex voluntate, decreto et præcepto Patris, vel ad effectum hujus spontaneæ traditionis, significatum verbis subsequentibus.

Vers. 5. — *Cui est gloria in secula seculorum : Amen*; id est, fiat. Sensus : Qui pro tanto beneficio dignus est à nobis et ab omnibus glorificari per secula semper duratura, id est, in omnem æternitatem.

Vers. 6. — *Miror quòd sic tam citò transferimini*, etc. Miror vos tam citò post fidem Christi susceptam, ab eo qui vos admirabili benignitate vocavit in gratiam Christi Filii sui, id est, ad participationem gratuitorum ejus beneficiorum, transferri seu traduci in aliud evangelium, sive in aliam doctrinam, quæ pro Evangelio vobis obtruditur, q. d. : Miror quòd apostatatis tam facilè à Deo et à Christo, qui vos vocavit tam gratiosè et amanter, quæque gratiæ ejus sitis tam ingrati et immemores, eamque aspernemini.

---



Vers. 1. — *Paulus apostolus non ab hominibus, scilicet puris, sed à Christo homine ac Deo, neque per hominem, sed per Jesum Christum*, qui non est purus homo, sed homo Deus. Vult enim dicere se non ab homine, neque à Deo per hominem, sed immediatè ab ipso Deo vocatum esse.

*Et Deum Patrem* Jesu Christi naturalem, significat sit natus, sed quia in mundo mala fiunt ab hominibus, ita seculum nequam dicitur hic ab Apostolo, non quod spatium temporum bonum sit, aut malum per semetipsum, sed per eos qui in illo sunt, aut bonum appellatur, aut malum, ait D. Hieronymus.

Itaque seculum nequam est metonymia, seu seculum ponitur pro iis quæ sunt et quæ fiunt in seculo. Per hæc autem verba, *ut eriperet nos de præsenti seculo nequam*, seu de corruptione hujus seculi pessimi, Apostolus effectum mortis Christi designat. Sicut ergo priùs indicavit Christum, gratiæ fontem, ita et hic modum ostendit quo Christus gratiam et justitiam nobis promeruit. Et hoc non sine causâ, sed ut in ipso exordio pseudo-apostolorum refellat errores.

Itaque si laudabile dicitur exordium illud quo præparatur auditor ad id quod in sermone vult orator demonstrare, hoc sanè laudabilissimum quo D. Paulus viam sibi parat ad refellendum pseudo-apostolorum errorem, qui in legalibus et à legalibus remissionem peccatorum et justitiam requirebant. Aiebant enim quòd à Christo quidem veritatis doctrina et vitæ exemplum essent repetenda, à Moyse verò et à lege peccatorum remissio. Quod ut et in ipso exordio refellat Apostolus, Christum designat justitiæ fontem, et modum notat quo nobis justitiam et gratiam promeruit.

Vers. 5. — Cui est gloria...: cui sit æternus honor pro tanto et tam eximio beneficio. Ineffabilis hujus erga te Dei amoris recordare. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*.... Ob hoc æternus ei sit honor et gloria.

Vers. 6. — Miror quod sic tam cito.... Græc.: *Miror quòd tam citò*. Non est *sic tam*, sed *tam citò*. Ambrosius tamen habet, *sic tam citò*, et, teste ipso Erasmo qui hanc lectionem putat absurdam, reperitur apud Tertullianum et D. Augustinum. Exponit Apostolus factum ob quod illis scribit ; et ut de eo horrorem illis incutiat, et factum ex abrupto et cum admiratione declarat, et omnes illius enormitates paucissimis verbis exprobrat. *Miror quòd sic*... Singula verba vim habent et sunt ponderanda. *Miror*, nec concipio ; insolita et incognita miramur ; *quòd sic*, scilicet quòd postquàm tantam à Deo gratiam accepistis ; postquàm tot bona opera, Christi gratiâ fecistis ; postquàm tam multa pro Christo passi estis, cap. 5, v. 4. Illis itaque verbis et confusionem illis parit, et suam simul erga

illos existimationem ostendit. *Tam citò*. Duplicem illis impingit culpam, et quòd defecerint, et quòd celerrimè defecerint.

Transferimini, non dixit translati estis, sed *transferimini*, ut indicet quòd credat nondùm factam esse circumventionem, et ut, hoc modo, ab eâ revocet.

Ab eo, qui vos vocavit..., id est à Deo Patre, qui vos, suâ misericordiâ, vocavit in gratiam Christi, id est, ad sanctificationem, quæ in Christianismo datur, et consequenter à Jesu Christo, cujus gratiâ et vocati et sanctificati fuistis. Ut Galatas ab errore revocet, horrendam illius enormitatem eis exhibet; nimirùm defectio est à Deo Patre, et à Jesu Christo. Falsi doctores ut Galatas seducerent, suam Judaismi cum Christianismo mixturam vocabant Christianismum. Hæc erat illorum fraus, ait D. Chrysostomus; sed est omnium impostorum, hæreticorum fraus. Apostolus fraudem detegit, hancque mixturam proprio nomine designat; nimirùm, defectio est à Deo Patre, qui vos vocavit, et à Jesu Christo, ad quem estis vocati.

In aliud Evangelium. Ita doctrinam suam vocabant falsi doctores; sed hoc evertit Apostolus in v. 7, dicens : Quod non est aliud. Itaque miror quòd à Deo et à Jesu Christo defecistis, et celerrimè defecistis, et ad novum aliud Evangelium deflexistis. Hoc obstupescens in Galatis miratur Apostolus; et non sine mentis commotione hoc illis exprobrat.

*Observatio moralis.*

Sed, heu! in quot Christianis hoc ipsum videmus, nec tamen miramur? quot à Deo et à Jesu Christo, cui nomen in baptismo dederunt, deficiunt? et celerrimè, in ipsâ adolescentiâ et juventutis flore deficiunt? et toto vitæ tempore, aliud evangelium, mundi vanitates, diaboli pompas sequuntur, quibus abrenuntiârunt? Nostra hæc desertio pejor est Galatarum defectione; Judaismum Galatæ nusquàm abrenuntiârant, ad quem accesserunt; nos mundi vanitatibus et diaboli pompis in baptismo renuntiavimus, ad quas tamen recurrimus. Hinecque nostra defectio quasi duplex, aut saltem dupliciter rea; à Jesu Christo deficimus, cui nomen dedimus; ad Satanæ pompas recurrimus, quibus solemniter renuntiavimus. Hujus desertionis reatum, ô Deus misericors! da nobis intelligere, horrere, flere; ut tandem post prævaricationem dolentes et pœnitentes redeamus ad cor. *Redite, prævaricatores, ad cor.*

Vers. 7. — Quod non est aliud... Exponit Apostolus quod v. 6 dixit, *in aliud evangelium;* et quasi semetipsum corrigens, addit : *Quod non est aliud*, id est, cùm tamen non sit aliud, etc. : unum enim solum est Evangelium.

Nisi sunt aliqui, id est, sed sunt aliqui, scilicet, pseudo-apostoli, qui vos falsis suis dogmatibus conturbant, et volunt invertere Evangelium Christi. Subvertebant Evangelium Christi, docendo quæ Christus nec per se, nec per apostolos suos docuit. Invertebant Evangelium, seu præposterè vertebant; illud enim perverso ordine ad legem revocabant. Lex umbra, figura : Evangelium veritas, res figurata.

Ordo naturalis est : Ut umbra et figura desinat et convertatur in veritatem; et reverà lex in Evangelium conversa est; illi autem perverso ordine veritatem evangelicam ad figuras et umbram reducere volebant; sicque Evangelium invertebant, præposterè vertebant; res susque deque vertebant. Hinc docemur quòd evangelica puritas nullam mixturam patitur. Purè servandum est Evangelium; aliàs invertitur.

Quemadmodùm in monetâ regiâ, qui paululùm quid amputârit de impressâ imagine, totum numisma reddit adulterinum, ita quisquis sanæ fidei vel minimam particulam subverterit, in totum corrumpitur, ab hoc initio semper ad deteriora procedens. D. Chrysostomus.

Si legalium cæremoniarum, à Deo etiam institutarum superadditio fuit Evangelii subversio, quid erunt commenta hominum Evangelio superaddita? quid vanitates seculi et pompæ diaboli Evangelio copulatæ? Quot ergò Christiani in semetipsis subvertunt Evangelium Christi? quot ergo quibus in fine mundi, dicet Christus : *Non novi vos?*

Vers. 8. — Sed licet nos aut angelus... Hic Apostolus, zelo Dei in Evangelii subversores accensus in eos quidem anathema dicit; sed apostolicâ prudentiâ ductus, in hoc anathemate ferendo modum servat admirabilem. Primò, neminem pseudo-apostolorum nominat; secundò, ne sua videatur ostentare dogmata, aut semetipsum aliis hâc in re præferre; seipsum devovit, *licèt nos;* tertiò, quia falsi doctores Petrum, Jacobum et Joannem celebrabant, quasi erroris sui patronos, ideò addit : Aut angelus... Hinc meritò D. Chrysostomus dicit quòd D. Paulus angelos evangelistas dicens anathema, omnem, quæcumque sit, dignitatem comprehendit; seipsum autem dicens anathema, omnem familiaritatem ac germanitatem complexus est. Nec mihi dixeris : Socii, collegæ tui, etc., apostoli, etc.; nec mihi ipsi parco, si, etc. Vide D. Chrysostomum. *Licèt* ergo *nos*, mente mutatâ, *aut angelus* de cœlo, si fieri posset, evangelizet vobis; præterquam quod, et *præter id quod*, v. 9. Græc. *præter quod*, significant contra quod, vel quid repugnans et contrarium ei quod prædicavimus, etc. Hâc autem locutione usus est Apostolus, quia agebat



contra judaizantes, qui præter Evangelium inducebant Judaismum; sicque docebant *præter id quod* Apostolus docuerat. Hinc orsus est canon fidei, quem secuti sunt sancti Patres et concilia : Si quod dogma novum oriatur alicubi, examinetur an concordet cum antiquâ et receptâ Ecclesiæ catholicæ fide, quam prædicârunt apostoli, ut si inveniatur ei repugnans, aut ab eâ alienum, hæreticum habeatur, eique dicatur anathema. Christus, ipsa veritas, verbum Dei locutus est; apostoli hoc Dei verbum prædicârunt; hinc quicumque verbo Dei, prædicationi apostolorum, repugnans aliquid asserit, hic sit anathema. Si autem à primis Ecclesiæ temporibus, tanta fuit fidei semel traditæ certitudo, utpote innixæ verbo, seu revelationi Dei, quanta nunc debet esse illa fidei certitudo, tot signis et miraculis, tot seculorum traditione, tanto totius orbis consensu, stabilita atque confirmata?

Vers. 9. — Sicut prædiximus et nunc iterum... Ut intimiùs inculcet animis ea quæ in v. 8 dixit, et ne fortè putent quòd per quemdam fervoris excessum dicta sint, eadem repetit.

Si quis vobis evangelizaverit contra id quod vos, ex Christi mandato, docui, sit anathema. Quia hæretici hoc et præcedenti versu abutuntur ad repellendas Ecclesiæ leges, decreta pontificum et canones conciliorum, nota pulchram hujus loci interpretationem à D. Augustino, tract. 99 in Joan. : Non ait, plusquàm accepistis, *sed præterquàm quod accepistis;* nam si illud diceret, præjudicaret sibi ipsi, qui cupiebat venire ad Thessalonicos ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt; sed qui supplet quod minùs erat, addit; non quod inerat, tollit; qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in viâ, sed recedit de viâ. Ilæc S. Augustinus.

Summi verò pontifices, concilia, etc., explicant fidem, non prætergrediuntur regulam fidei; explicitè docent quæ sunt in Scripturis implicitè; Scripturis autem non adversantur. Hinc nihil contra illos quod hic D. Paulus dixit contra falsos doctores, qui Judaismum præter et contra Evangelium inducentes, prætergrediebantur regulam fidei, et eo ipso Evangelium invertebant.

Vers. 10. — Modo enim hominibus suadeo?... Attendens Apostolus ad excommunicationem jam à se latam, animadvertit quòd quantâlibet cum prudentiâ fuerit expressa, superbos tamen hos doctores, et aliquos fortassè eorum discipulos sit offensura; in hâc ergo reflexione à semetipso quærit : Num hanc causam modò apud homines dico? num apud Deum? an studium meum est ut hominibus placeam? an potiùs ut Deo placeam? Tum sibimet respondens, et intra semetipsum approbans quod versibus superioribus dixit : Si adhuc hominibus placerem..., aut placere vellem, Christi servus, seu Christianus non essem; sed adhucà Judæis starem.

*Notanda ad intelligentiam.*

His verbis Apostolus vult Galatis indicare quòd De gloriam unicè quærat, non favores hominum; hinecque liberè et sincerè veritatem dicat, non placentia hominibus. Ubi duo simul peragit : suam causam ab integritate personæ suæ commendat, et ex obliquo ferit adversarios, quibus totum studium erat hominibus placere; seu intentionem suam Paulus pseudo-apostolorum intentioni oppositam declarat. Quod ut meliùs intelligas, nota quòd qui judaizandi necessitatem docebant, id non pietate moti faciebant, sed ut Judæis placerent, et ab eis, hâc ratione, honores et commoda adipiscerentur; simulque incommoda vitarent, quæ Christianos premebant. Tunc enim Judæis libera erat per leges Romanas et edicta, religionis functio; non item Christianis, quos vexari cæpisse patet ex Actis apost., et ex aliis S. Pauli Epistolis. Mentem igitur et intentionem suam in prædicando Paulus indicat pseudo-apostolorum menti et intentioni oppositam; illi hominibus placere student, Paulus Deo. Hinc D. Chrysostomi ore sic loquitur : Nec principatum ambiens, nec discipulos colligendi studio, neque gloriam ac laudem à vobis captans, hæc scribo; neque enim nobis studio est hominibus placere, sed Deo : nam si voluissem hominibus placere, adhuc à Judæis starem, adhuc persequerer Ecclesiam Dei. Ita D. Chrysostomus secundùm quem, *Christi servus non essem*, idem est ac Christianus non essem.

*Observatio moralis.*

Ex hoc v. 10, *si hominibus adhuc placerem...*, disce studium placendi hominibus, seu amorem humanæ gloriæ fontem esse corruptionis evangelicæ, nec Evangelii veritatem purè annuntiari ab eo ministro cujus cor hoc affectu præventum est. Sit itaque verus Dei minister ab omni humanæ gloriæ affectu liber; Deum unicè quærat.

Ex eodem versu disce quòd nemo potest Deo et mundo, *duobus dominis, servire*, Matth. 6. *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat*, Isai. 28, 20. Cor nostrum, stratum Dei, illud Deus propter se fecit, hinc Deum solum et unicè continere potest; si aliud amet, Deum non amat. Nec duos sponsos, nec duos dominos habere potest; si unus accedat, alter decidet; si adulter admittatur, Deus sponsus unicus animæ dimittetur. Itaque cor tuum diligenter examina; si non sit unicè Dei, Dei non est. Unum uni, una uni, aiebat extaticus frater Ægidius, sancti patris Francisci socius; unum cor uni Deo, una anima uni sponso Christo.

Nota tamen uno respectu complacentiam esse peccatum et altero virtutem esse. Hominibus placere propter homines, sine respectu ad Deum, peccatum

---

Vers. 7.— *Quod non est aliud*, q. d. : Transfertis vos ad aliud evangelium, quale tamen aliud non est : nullum enim verum evangelium aliud est ab eo quod ego vobis prædicavi.

*Nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi;* sed tantùm, inquit, quidam sunt turbantes vos, dùm volunt invertere Evangelium Christi, id est, aliud docere quàm quod Christus per apostolos docendum tradidit. Non enim Christus præcepit homines circumcidi, cæterasque legis cæremonias observari; sed ab hoc jugo fideles suos liberavit.

Vers. 8. — *Sed licèt nos*, etc. Loquitur contra judaizantes, qui Judaismum, *præter quàm*, id est, contra Evangelium inducere volebant. *Anathema sit*, id est, maledictus et execrabilis; quod Hebræi vocabant *herma*. Declarat execrabilem esse et excommunicatione atque æterno interitu dignum.

Vers. 9. — *Sicut prædiximus*, etc. *Accepistis*, intellige, à nobis.

Vers. 10. — *Modò enim hominibus suadeo, an Deo?* Id est, an apud homines causam dico, an apud Deum? Ita Chrysost.

*An quæro hominibus placere?* id est, num studium meum est ut hominibus placeam, an potiùs ut placeam Deo?

*Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.* Si adhuc ut olim sectarer hominum gratiam, non essem idoneus Christi servus, non essem dignus eo nomine, quia ministerium quo Christo servio in

est. Placere hominibus propter Deum et ut illos ad Deum trahas, charitas est. Hinc conciliabis quod hic dicit Apostolus cum eo quod Rom. 15 dixit : *Unusquisque proximo suo placeat;* et 1 Cor. 10 : *Se per omnia omnibus placere;* quod benè D. Augustinus explicuit dicens : Homo hic non placet utiliter, nisi cùm propter Deum placet, id est, ut Deus placeat et glorificetur, cùm dona ejus attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur ; cùm autem sic placet homo, jam non homo, sed Deus placet.

Vers. 11. — Notum enim vobis facio, fratres... Explicat et aggreditur probare quod dixit statim ab initio : *Paulus apostolus non ab hominibus...* Ut ergo refutet pseudo-apostolorum calumniam dicentium quòd Paulus non sit apostolus, sed apostolorum tantùm discipulus, in toto capitis hujus reliquo multis argumentis probat quòd Evangelium suum ab homine non didicerit, sed à Jesu Christo immediatè. Affirmat ergo cum certitudine et omnibus notum esse cupit quod Evangelium à se prædicatum non sit ab homine nihilque habeat humanum.

Vers. 12. — Neque enim ego ab homine accepi... Quia illud non accepi ab hominis cujuspiam traditione, neque illud didici hominis alicujus interventu, seu magisterio, sed per revelationem à Jesu Christo immediatè mihi factam.

Adest propositio veritatis oppositæ judaizantium calumniæ. Sequuntur illius veritatis probationes.

Vers. 13. — Audistis enim conversationem... Vide paraphrasim.

Vers. 14. — Et proficiebam in Judaismo... Vide

Evangelio, non sincerè, non sicut oportet obirem.

Vers. 11. — *Notum enim vobis facio*, etc. Non est humanum, sed divinum Evangelium meum, non est hominis, sed Dei.

Vers. 12. — *Neque enim ego ab homine accepi illud*, etc. Facta est igitur ei revelatio Evangelii, antequàm ut Christi Apostolus fidem Domini Jesu incipere t prædicare, non longè scilicet post conversionem ipsius.

Vers. 13. — *Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo.* Judaismum vocat sectam Judaicam, id est, eorum qui legem Mosaicam mordicùs retinebant, non admittentes abrogationem ejus per Christum. Judaismus est, inquit Augustinus, cùm putatur ex cæremoniis et lege salus esse, aut sine illis non esse.

*Quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei*, id est, quòd omni conatu ac studio persequebar christianos, qui sunt Ecclesia Dei. *Et expugnabam illam*, hoc est, expugnare et evertere satagebam, vel devastabam illam; quasi videlicet quidam grassator et prædo, ait Hieronymus.

Vers. 14. — *Et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo;* ita proficiebam ut superarem plerosque meæ ætatis socios Judæos; hos enim vocat genus suum.

*Abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum*, q. d. : Ardentior zelator fui pro patriis institutis mihi à majoribus traditis.

Vers. 15. — *Cùm autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ*, qui fecit me nasci secundùm carnem ex utero matris meæ. Quam matrem fuisse nuncupatam Theocritam refert hoc loco Stapulensis ex Zosimo papâ. Qui me jam inde ab ipso nativitatis meæ exordio prædestinavit, ac peculiariter ex hominum

paraphrasim. Probat, primò per seriem vitæ ante conversionem ductæ, ubi tantùm abest, ut quemquam ex apostolis habuerit doctrinæ suæ magistrum, quin imò inter Judæos insignis erat. Primò, suâ crudeli in Ecclesiam persecutione : *Supra modum persequebar...*, infensus eram hostis Ecclesiæ, quam vehementer persequebar, et quam funditùs evertere ardenter cupiebam. Secundò, suo in Judaicâ religione supra coætaneos Judæos progressu, in majori notitiâ legis, et Judaicæ religionis studio : *Et proficiebam...* Tertiò, suo ardentiori zelo in doctrinam et instituta à majoribus accepta : Abundantius æmulator.... seu, ut ait Syrus : *Et majorem in modum zelabam doctrinam patrum meorum.*

Hoc vobis omnibus notum est; *audistis enim...* quantumcumque sit inter Galatiam et Palæstinam spatium, hujus tamen conversationis meæ rumor ad vos usque pervenit. Tunc ergo, ut videtis, nec apostolos, nec alios prædicatores consulebam, contra quos ferventiùs exardescebam.

Vers. 15. — Cum autem placuit ei, qui me... Vide paraphrasim.

Vers. 16. — Ut revelaret Filium suum.... Vide paraphr.

Vers. 17. — Non veni Jerosolymam... Vide paraphr.

Pergit in probandâ supra positâ veritate, per vitæ suæ post conversionem sequelam; vocatus enim à Deo, statim obedivit, docuit, prædicavit Jesum Christum, Filium Dei, nullo apostolo, aut alio doctore christiano consulto, aut audito.

numero delegit; quasi dicat : Deus ante omne meum meritum me secùm natum prædestinavit, et prædestinatum segregavit ex utero, nascique fecit, ac natum vocavit, *ut revelaret Filium suum in me*, hoc est, ut me ad Christi et Evangelii agnitionem adduceret, et consequenter ad apostolatum, ut evangelizarem Christum in gentibus. Ita Ambros., Anselm., Theoph.

*Et vocavit per gratiam suam.* Vocatio fit in tempore, estque *per gratiam Dei* efficax ad eam rem, ad quam quis ab æterno prædestinatus est. Videtur autem loqui de tempore conversionis.

Vers. 16. — *Ut revelaret Filium suum in me. In me*, pro eo quod est per me, positum est; q. d. : Ut per me, tanquam apostolum et præconem, Filium suum fideique ejus mysteria manifesta mundo faceret.

*Ut evangelizarem illum in gentibus, continuò non acquievi carni et sanguini*; q. d. : Ab homine Evangelium non sum edoctus, quia cum nullo homine illud contuli, sed à Deo solo illud per revelationem accepi.

Vers. 17. — *Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos.* Dices : Actor. 9, dicitur mox à conversione, cùm Damasco fugeret, Paulum venisse Hierosolymam. Respondet Hieron. et Lorinus in Actor. 9, venisse Hierosolymam statim à conversione necessitate fugæ compulsum, non autem ut Petrum videret, cum eoque conferret Evangelium; hoc enim tantùm hic negat. Aliter respondet Baron., Act. 9, non dici Paulum statim à conversione venisse Hierosolymam, sed post dies multos : puta post triennium partim in Arabiâ, partim Damasci exactum, etc. Utraque sententia est probabilis. Priori favet id quod subdit Lucas : *Omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus. Barnabas autem apprehensum duxit illum ad apostolos, et narravit illis quomodo in viâ vidisset Dominum.* Conversio enim tam miraculosa Pauli non videtur potuisse per triennium latere apo-



*Cùm autem placuit Deo*, illud in me exequi ad quod destinârat *ex utero matris meæ....* alludit ad id quod de Jeremiâ dicitur Jerem. cap. 1.

*Et vocavit me per gratiam...* Explicat id ad quod erat destinatus, quasi diceret : Cùm, inquam, Deus singulari suâ in me benevolentiâ, me tunc hostem suum misericorditer vocavit. Vide Act. 9, 5.

*Ut revelaret...* Filiumque suum quem ignorans persequebar, cognitum mihi fecit, revelatione divinâ animam meam illustrante et fidei mysteria docente, ut illum gentibus prædicarem.

Apud sacros auctores non benè constat, quando facta fuit hæc Evangelii revelatio; D. Hieronymus putat in itinere Damasci; D. Thomas in triduo sequenti; alii et fortè probabiliùs postquàm Paulus fuit ab Ananiâ catechizatus et baptizatus.

*Continuò non acquievi carni et sanguini.* Syr. : *Statim non patefeci carni et sanguini.* Arab. : *Non significavi apud carnem et sanguinem. Non acquievi*, id est, non contuli, non communicavi cum carne et sanguine, seu nullum adii, consilii capiendi gratiâ; hoc significat verbum Græcum; hinc illud ipsum noster interpres, cap. 2, v. 6, vertit : *Nihil contulerunt.* Sensus itaque est : Statim et sine morâ, illum ubique annuntiavi, vide Act. 9, v. 20, inconsulto quolibet mortali, nulliusque hominis capto consilio, aut audità doctrinâ.

Non quæsivi ab hominibus an Deo parendum esset, sed obediens Deo, Jesum statim ubique prædicavi. *Non acquievi carni et sanguini.* Caró et sanguis hic rectè significat apostolos, naturæ cognomento eos designans; quòd si hoc sentit de cunctis hominibus, nos non contradicimus, ait D. Joan. Chrysostomus.

*Neque veni Jerosolymam...* Vide paraphrasim.

Sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. Damascus tunc erat sub Arabum regno, ait Grotius.

D. Paulus non dicit expressè ad quid ierit in Arabiam, et ad quid Damascum redierit, sed ex v. 16, ubi dicit se statim, sine morâ, cœpisse suo munere fungi, videtur indicare satis quòd ex tunc ubique prædicaverit et in Arabiâ, et Damasci, et in locis Damasco proximis, idque inconsultis quibuslibet mortalibus. Id etiam sequi videtur ex Apostoli scopo, qui hæc omnia refert ut probet quòd à nullo apostolo sit edoctus, aut missus, cùm prædicaverit ubique antequàm ullum viderit apostolum. Videtur et id expressum in Actis apost., cap. 9, 20 : *Et continuò in Synagogis prædicabat.* D. Lucas hujus in Arabiam itineris mentionem non facit, fortè quia Pauli comes non erat, fortè quia in Arabiâ nihil accidit Paulo memorabile, vel potius ex modestiâ Paulus sua præclara

stolos et alios fideles Hierosolymis.

*Sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum.*

Quid in Arabiâ Paulus egerit, traditum non habemus.

Vers. 18. — *Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*, etc. ; q. d. Paulus : Veni Hierosolymam videre Petrum, non ut ab eo aliquid discerem, facta non commemorat, ait D. Chrysostomus.

Sed, inquies, Act. 9, v. 26, videtur quòd statim post conversionem suam Paulus Damasco fugerit Jerosolymam. Resp. cum Baronio quòd si benè legatur locus ille Actorum, conveniet cum hoc Galatarum; in Actis enim non dicitur quòd statim post conversionem, sed *post dies multos*, scilicet, *post annos tres*, ut hic dicitur.

*Notanda ad intelligentiam.*

Porrò D. Chrysostomus sapienter notat in his, v. 16 et 17, debere mentem, non nuda verba Apostoli considerari, idque multis similitudinibus et exemplis ostendit fieri debere in plerisque hominum dictis et factis. Quænam ergo mens est Apostoli dicentis se cum quopiam non communicâsse, ad apostolos non ascendisse, etc. An intendit seipsum prædicare, alios deprimere? Minimè, sed calumniam refellere unde Galatarum error ac deceptio irrepserat. Quoniam enim falsi doctores nusquàm non inculcabant Galatis Paulum Christi apostolum non esse, cæteros omnes Paulo priores esse, ipsisque potiùs quàm Paulo credendum; et quia ob illam calumniam decepti Galatæ illos falsos doctores audierant, illisque crediderant et circumcisionem susceperant; hinc D. Paulus non arrogantiæ causâ, sed ut suæ prædicationis auctoritatem declaret, dicit : *Non contuli cum carne et sanguine*, id est, hominibus. Fuisset enim extremæ absurditatis, ait idem D. Chrysostomus, eum qui à Deo fuerat edoctus postea cum hominibus communicare.

Neque ascendi ad eos qui ante me fuerant apostoli, quia qui per revelationem injunxerat ei prædicandi munus, hoc illi non præcepit, ait D. Chrysostomus.

Hinc collige quòd licet quibusdam in casibus veritatem quanquàm nobis gloriosam dicere; licet et aliquando jurare, ut v. 20 jurat Apostolus.

Vers. 18. — Deinde post annos tres... Fatetur quòd post tres annos Jerosolymam iverit ut videret Petrum, non discendi studio, sed honoris primo apostolorum deferendi gratiâ, ut interpretatur D. Hieronymus, sic etiam et D. Chrysostomus qui notat quòd D. Paulus non dixit ἰδεῖν, *cernere*, sed ἱστορῆσαι, *invisere*, cognoscendi et honorandi causâ. Ita et Ambrosius : Dignum fuit ut cuperet videre Petrum, quia primus erat inter apostolos, etc., non ut ab eo aliquid disceret, qui jam ab auctore didicerat à quo et ipse Petrus fuerat instructus, sed propter affectum apostolatûs, et ut sciret Petrus hanc illi datam licentiam quam et ipse acceperat. Addit D. Paulus quòd fuerit per quindecim dies tantùm apud Petrum, quod tempus brevius fuit quàm necesse fuisset ut ab eo disceret Evangelium, quòd aliunde non fuisset edoctus.

Vers. 19. — Alium autem apostolum.... Aliò

qui divinitùs eram edoctus, sed ut tantum virum, apostolorum scilicet principem, viderem et honorarem. Ita Theod., Chrys., Ambros., Hieron.

Vers. 19. — *Alium autem apostolum vidi neminem*, etc., Christi scilicet consobrinum vel cognatum.

quippe iverant Evangelii prædicandi gratiâ. Nisi Jacobum fratrem, id est, consobrinum Domini, quippe filium Mariæ uxoris Cleophæ quæ soror erat B. Mariæ Virginis. Perperàm falsus Ambrosius dicit eum fuisse filium Josephi, et ideò dictum *fratrem Domini*. D. Hieronymus, cap. 8, contra Helvidium, docet sanctum Joseph fuisse virginem ante et post matrimonium cum Mariâ matre Domini.

Vers. 20. — Quæ autem scribo... Hæc omnia, quia magni momenti et Galatis creditu necessaria, sub juramento affirmat, ut credant quòd reverà sit apostolus Christi, et ab ipso edoctus.

Vers. 21. — Deinde veni in partes Syriæ.... Ergo Hebræi enim cognatos vocant fratres. Fuit enim hic Jacobus Alphæi, filius Mariæ uxoris Cleophæ, unus è duodecim apostolis, primus episcopus Hierosolymorum, unde et in primo concilio Hierosolymitano primus post Petrum sententiam dixit, Act. 15. Hujus Jacobi extat Epistola canonica. Ita Chrysost., Theoph., Anselm.

Vers. 20. — *Quæ autem scribo vobis*, etc. *Ecce* autem *coram Deo* dico et declaro, *quia non mentior* quæ vobis scribo; q. d. : Deum, ut præsentem et omnia videntem, testem adduco quòd nihil horum confinxerim.

Vers. 21. — *Deinde veni*, etc.; id est, post quindecim dies quibus mansi Hierosolymæ. Tarsus enim urbs erat Ciliciæ, Pauli patria, quemadmodùm ipse testatur, Act. 22.

in nullâ Judææ regione aut urbe immoratus, ubi christianam edoceret religionem.

Vers. 22. — Eram autem ignotus facie.... Ergo falsò dicunt pseudo-apostoli quòd apud Judæos docuerim necessitatem circumcisionis et legis suscipiendæ.

Vers. 23, 24. — Tantum autem auditum... Vide paraphrasim.

Et in me clarificabant Deum, id est, glorificabant, seu ex me sumebant occasionem Deum laudandi, qui me ex lupo fecit pastorem et pastoris officium gerentem.

Vers. 22. — *Eram autem ignotus facie ecclesiis Judææ*, etc. Secundùm faciem non viderant me christiani qui erant in Judæâ.

Vers. 23. — *Tantùm autem auditum habebant*, id est, auditu et famâ cognoverant, rumor hujusmodi ferebatur ad eos à dicentibus :

*Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat;* id est, vastabat. Vastabat autem et expugnabat fidem, quia Christi fidelibus fidem extorquere persequendo nitebatur.

Vers. 24. — *Et in me clarificabant Deum.* Græcè, *glorificabant.* Ambrosius legit, *magnificabant. In me*, dixit pro eo quod est, *de me.* Sensus, vel *propter me.* Gloriam meæ conversionis Deo tribuebant.

## *Corollarium pietatis, seu in hoc capite ad pietatem maximè notanda, et ad praxim rediganda.*

1° Nota quòd in hoc capite D. Paulus, salutis animarum zelo pressus, totus est in stabiliendâ apostolatûs sui, contra pseudoapostolorum calumnias, auctoritate; totus in purgandâ etiam minimâ suspicione de legitimâ suâ missione, totus et in manifestandâ intentionum suarum rectitudine, v. 10 : *An quæro hominibus placere?*

Hinc discat omnis prælatus, pastor, doctor, concionator evangelicus, quilibet salutis animarum minister, omnem, etiam minimam, de suâ auctoritate, missione, doctrinâ, suspicionem purgare, imò et studeat operibus et verbis intentionum suarum rectitudinem declarare. Pateat omnibus auctoritas ejus legitima; quòd non sit intrusus vi, dolo, hominum favore, ab hominibus, et per homines solos; pateat ejus missio ab hominibus legitimam auctoritatem habentibus; pateat ejus doctrinæ puritas, et cum evangelicâ doctrinâ conformitas; pateat et, quantùm fas est, intentionum illius rectitudo; quòd non sua quærat, sed Dei gloriam, et salutem animarum. Hæc enim necessaria in Evangelii ministro, ut in Ecclesiâ Dei fructificet.

2° In hoc eodem capite nota stupendum divinæ gratiæ miraculum. Paulus Judæus, infensus Christianorum hostis et furens persecutor, divinâ Christi gratiâ fit quasi in momento Christianus et ardens Evangelii prædicator. Ut hoc miraculum meliùs agnoscas, adverte ex v. 13 et 14 quot erant in Paulo obstacula gratiæ; ejus in Judaismo nativitas, educatio, continuus in Judaicâ religione supra suos coætaneos progressus, et ob id illius inter Judæos illustris fama et existimatio. Adde, et illius ardens antiquæ religionis zelus, odium in novam, et in Ecclesiam christianam furor, denique declarata et omnibus nota in illam persecutio.

Quàm potens igitur et efficax Christi gratia, quæ hæc omnia simul in Paulo vincens ex sævo persecutore fecit ardentem prædicatorem, ex Judaismi defensore fecit Evangelii apostolum zelantissimum. Vocavit eum Christus exteriori et interiori voce, animam ejus cœlesti lumine illustravit, cor divinis motibus immutavit, et statim Saulus, spirans minarum et cædis in Christi discipulos, fit ipse discipulus et apostolus Christi : *Domine, quid me vis facere?*

Hoc miraculum mirare, reverere, et ob illud, quia toti quidem Ecclesiæ, at præcipuè gentibus utile, tu naturâ gentilis Deo gratias age; hujus potentis gratiæ auxilium implora, ut omnia in te salutis obstacula vincat, et ex tepido faciat ardentem Christi discipulum. In hâc gratiâ confide, hâcque fretus de tuâ salute nunquàm non spera.

3° Nota quòd Paulus à Christo vocatus obedivit, nullo mortali consulto. Sic quilibet Christianus à Christo vocatus obediat, inconsultis carne et sanguine, seu parentibus, seu amicis carnalibus. Deum sequatur vocantem, seu ad statum religiosum, seu ad evangelicam perfectionem. De hoc, sanctorum Patrum testimonia vide apud Cornelium à Lapide.



## CAPUT II.

1. Deinde post annos quatuordecim, iterùm ascendi Jerosolymam cum Barnabâ, assumpto et Tito.

2. Ascendi autem secundùm revelationem; et contuli cum illis Evangelium quod prædico in gentibus, seorsùm autem iis qui videbantur aliquid esse; ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.

3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset gentilis, compulsus est circumcidi;

4. Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent;

5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos;

6. Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil meâ interest; Deus personam hominis non accipit) : mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.

7. Sed è contra cùm vidissent quòd creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis

8. (Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes);

9. Et cùm cognovissent gratiam quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem :

10. Tantùm ut pauperum memores essemus; quod etiam sollicitus fui, hoc ipsum facere.

11. Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

12. Priùs enim quàm venirent quidam à Jacobo, cum gentibus edebat; cùm autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant.

13. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

14. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, cùm Judæus sis, gentiliter vivis, et non Judaicè, quomodò gentes cogis judaizare?

15. Nos naturâ Judæi, et non ex gentibus peccatores.

16. Scientes autem quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi; et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis : propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro.

17. Quòd si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit.

18. Si enim quæ destruxi, iterùm hæc ædifico, prævaricatorem me constituo.

19. Ego enim per legem legi mortuus sum, ut Deo vivam : Christo confixus sum cruci.

20. Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide

## CHAPITRE II.

1. Quatorze ans après, j'allai de nouveau à Jérusalem avec Barnabé, et je pris aussi Tite avec moi.

2. Or j'y allai suivant une révélation, et j'exposai aux fidèles, et en particulier à ceux qui paraissaient les plus considérables, l'Évangile que je prêche parmi les gentils, afin de ne pas perdre le fruit de ce que j'avais déjà fait ou de ce que je devais faire dans le cours de mon ministère.

3. Mais on n'obligea point Tite, que j'avais amené avec moi, et qui était gentil, de se faire circoncire.

4. Et la considération des faux frères qui s'étaient introduits par surprise dans l'Eglise, et qui s'étaient secrètement glissés parmi nous pour observer la liberté que nous avons en Jésus-Christ, et pour nous réduire en servitude,

5. Ne nous porta pas à leur céder même pour un moment, et nous refusâmes de nous assujétir à ce qu'ils voulaient, afin que la vérité de l'Evangile demeurât parmi vous.

6. Aussi ceux qui paraissaient les plus considérables (je ne m'arrête pas à ce qu'ils ont été autrefois, Dieu n'a point égard à la qualité des personnes), ceux, dis-je, qui paraissaient les plus considérables ne m'ont rien appris de nouveau.

7. Mais, au contraire, ayant reconnu que la charge de prêcher l'Evangile aux incirconcis m'avait été donnée, comme à Pierre celle de le prêcher aux circoncis

8. (Car celui qui a agi efficacement dans Pierre pour le rendre apôtre des circoncis, a aussi agi efficacement en moi pour me rendre apôtre des gentils);

9. Ceux, dis-je, qui paraissaient comme les colonnes de l'Eglise, Jacques, Céphas et Jean, ayant reconnu la grâce que j'avais reçue, nous donnèrent la main, à Barnabe et à moi, pour marque de la société et de l'union qui était entre eux et nous, afin que nous prêchassions l'Evangile aux gentils, et eux aux circoncis.

10. Ils nous recommandèrent seulement de nous ressouvenir des pauvres, ce que j'ai eu aussi grand soin de faire.

11. Or, Céphas étant venu à Antioche, je lui résistai en face, parce qu'il était répréhensible.

12. Car, avant que quelques uns qui venaient de la part de Jacques fussent arrivés, il mangeait avec les gentils; mais après leur arrivée il se retira secrètement et se sépara d'avec les gentils, craignant de scandaliser les circoncis.

13. Les autres Juifs usèrent comme lui de cette dissimulation, et Barnabé même s'y laissa aussi entraîner.

14. Mais quand je vis qu'ils ne marchaient pas droit selon la vérité de l'Evangile, je dis à Céphas devant tout le monde : Si vous, qui êtes Juif, vivez à la manière des gentils, et non pas à celle des Juifs, pourquoi contraignez-vous les gentils de judaiser?

15. Nous sommes Juifs par notre naissance, et non du nombre des gentils, qui sont des pécheurs.

16. Cependant, sachant que l'homme n'est point justifié par les œuvres de la loi, mais par la foi en Jésus-Christ, nous avons nous-mêmes cru en Jésus-Christ, afin d'être justifiés par la foi que nous aurions en lui, et non par les œuvres de la loi, parce que nul homme ne sera justifié par les œuvres de la loi.

17. Que si, en cherchant à être justifiés par Jésus-Christ, il se trouvait que nous fussions nous-mêmes des pécheurs, Jésus-Christ ne serait-il pas ministre du péché? A Dieu ne plaise!

18. Car si je rétablissais de nouveau ce que j'ai détruit, je me rendrais moi-même prévaricateur.

19. Mais je suis mort à la loi, par la loi même, afin que je ne vive plus que pour Dieu. J'ai été crucifié avec Jésus-Christ.

20. Et je vis, ou plutôt ce n'est plus moi qui vis, mais c'est Jésus-Christ qui vit en moi. Car si je vis